SIGISMVNDVS III.
DEI GRATIA REX POLONIÆ MAGNVS DVX LITHVANIÆ RVSSIÆ PRVSSIÆ MASOVIÆ SAMOGITIÆ LIVONIÆQ NEC NON SVECOR. GOT. VANDALQ. HÆREDIVS REX.

Significamus prñtibus lrĩs nrĩs quorum interest vniuersis & singulis. Quod cum hæc nrã præcipua cura sit, nihilq; magis gloriosum, ac perpetua memoria dignum arbitremur, quam ea in dies promouere, quæ in augmentum cultus diuini, consolationem, & specimen omnium dogmata Christi verè ac piè profitentium, cedere valeant; ijs verò omnem præcludere viam, quæ aliquando periculum fidei Catholicæ, peruersamq; doctrinam, Christi, ac Ecclesiæ Romanæ cultoribus, inducere possent. Proinde cum in Ciuitatibus Regni nrĩ, in quibus a primis fundamentis semper fides Romana Catholica vigebat, nunc verò per peruersa hominum ingenia, præcepta doctrinæque fidei Christianæ perniciosæ introducãtur, vti in Ciuitate nrã Bydgostien. (prout nobis refertur) videre est, ad quam indies maior numerus variarum sectarum, præcipuè verò Hæreticorum & Caluinistarum concurrit. Quare nos præfatam Ciuitatem Bydgostiensem, Magistratumq; eius, tam ratione zelosi in ea cultus diuini, quàm fidei erga nos, optimè commendatam habentes, ac huic malo, ne tantò magis crescat obuiare cupientes, ad supplicationem eorundem Consulum nrorũm vti iustam, piam, rationiq; consentaneam obaudire volentes, eidem Magrãtui Consulari Bydgostieñ, Ciuibus & Ciuitati illorum hoc prñti diplomate nrõ specialem prærogatiuam dañ, donañ, & concedendam duximus, harumq; serie lrarũm nrarũm damus, donamus, & concedimus in perpetuum; Vt in posterum non obstantibus quibusuis lrĩs exemptionum, aut quarumuis personarum, & dignitariorum protectione, nulli hæreticorum, Caluinistarum, vel aliarum quarumuis sectarum à fide Christiana Catholica alienarum hominibus, in dicta Ciuitate Bydgostiensi, vel in suburbijs eiusdem liceat domos, fundos, areas, coëmere vel vigore aliquarum obligationum occupare neq; ius Ciuitatis eiusdem suscipere, vel aliqua officia Ciuilia vsurpare: neq; ibidem vlla bona seu loca, quæ primæuæ fundationi eiusdem Ciuitatis nræ Bydgostieñ vel eius Priuilegijs, tam per nos, quàm & Sereñmos Prædecessores nrõs Reges Poloniæ benignè collatis, derogare, vel in quoquam augmentum & propagationem Sanctæ fidei Catholicæ Romanæ præpedire possint, nullo penitus prætextu quandoquè in posterum occupare, hoc singulari Priuilegio nrõ vetante. ~ Artifices taẽn cuiuslibet artis quicunq; in sua arte, bené exercitati per Seniores artificij sui officio Consulari eiusdem Ciuitatis legitimè (post iuramentum fidelitatis Ciuitati præstitum) præsentati fuerint, circa exercitium artis suæ in eadem Ciuitate conseruari poterit, ita tamen ne se in vllam penitus mercaturam vel braxationem quarumlibet potionum, & officia Ciuilia ingerant, neq; domos vel mansiones vllas in Circulo Ciuitatis neq; in suburbio eiusdem abhinc inposterum coëmere, neq; ibidem vlla conuenticula priuata roñe dogmatorum suorum exercere audeant. In cuius rei fidem prñtes manu nrã subscriptas Sigillo Regni communiri iussimus. Datæ Varsauiæ die XVIII Mensis Nouembr. Anno Dñi M DCXXVII Regnorum nrorũm Poloniæ XXXX Sueciæ verò XXXV Anno.

Sigismundus Rex

Wstąpił na tron roku 1587
a do roku 1015 iak panował iest
lat 220

Labore et studio
Petri Chorzynski
Pretunc Proconsulis

Petrus Gembicky
S R

Ao 1627
Labore et Studio Petri Chorczynsky
Proconsulis prae ead. A. expeditum.
et propria manu scriptum

[illegible] ærctios

D. Data Varsaviæ 1627 mo

R^ta Sac. Max. Trelern[illegible]

X. 27

Scrip 19

Solder